

ut vocant, *Prior*; Hieronymus Trivifanus, Dominici frater, e Dominicana familia percelebris ea tempestate theologus; qui Veronensem episcopatum consecutus, summa cum laude administravit. Erat sane Pii Summi Pontificis egregius in Rempublicam animus, atque ad eam amplificandam, & augendam impense proclivis, haud vulgaribus in dies argumentis probatus. Nam Cypriæ ecclesiæ, quæ præcipua habebatur, Antistitem juris patronatus nomine nuncupandum Senatui concessit; Reipublicæ legatos insigniter ornatos multis honoribus affecit; ecclesiasticas lites Venetiis decerni, ne subditi per judiciorum ambages Romam pertraherentur, jussit; simul cum Republica ortum eligendi Venetiarum Antistitis jus, amplo, ac perhonorifico diplomate probavit; nihilque fuit, quod a Senatu flagitaretur, quin illi ultro prompte, atque expedite deferret. Extant in publicis tabulis Senatus literæ, quæ eximiam illius in Rempublicam benevolentiam, Reiquepublicæ in illum observantiam patefaciunt. Ex ea animorum conjunctione, ac mutuis officiis complura ad Apostolicæ Sedis auctoritatem, & dignitatem, ad pacem Italiæ servandam, religionemque sarcientiam, atque amplificandam (uti suo loco dicemus) prodire.

1560
Hieronymus Trivifanus Veronensis Episcopus eligitur. Pius Pontifex juris patronatus nomine Cypri Antistitem nuncupandum Venetiis permittit.

Franciscus II. Rex ordinum conventus indicit.

Interea Franciscus Galliarum Rex, ut ea ferebat ætas, acri, & in seditiosos, ac refractarios severo admodum ingenio nihil non moliebatur, ut diræ pestis femina elideret; copias conscribere, solertes, ac strenuos duces deligere, arma comparare, pecuniam colligere: quodque sæpius salubre, atque opportunum fluctuanti Galliæ fuerat, trium regni ordinum conventum, cleri nempe, nobilium, ac popularium indixerat, ut gravissimi coetus auctoritate nimium elatos spiritus, imperiumque anhelantes contunderet. Concilium quoque (quod *nationale* vocant) ut haberetur, se jussurum vulgaverat; eo edicto de religione dissidia compressurum, atque languidiora redditurum ratus. Sed re periculi plena, atque ab Catholica Ecclesia discedendi gradum factura vehementer perturbatus Pontifex, nihil, quo ab eo Concilio Franciscum averteret, prætermisit. Philippus, Antonio Toletano legato in Galliam misso, ne id fieret, summopere contendit. Veneti quoque per Joannem Michaelium, ut de sententia Franciscum deducerent, sunt anxii: *Ex Gallicano Concilio ad ea sananda vulnera, quibus*